Herrn Professor Brandis zu Bonn.

Einladungsschrift

zu


der öffentlichen Prüfung

der

Schüler des katholischen Gymnasiums zu Köln

am 12. und 13. September 1836.

Inhalt: **Dr. Fr. Ley** commentatio de tempore, quo **Herodotus** mortem obiit.
Schulnachrichten vom Director, Prof. E. J. Birnbaum.



Köln am Rhein.

Gedruckt bei Johann Peter Bachem, Hof-Buchhändler und Buchdrucker.

Einladungsschrift

zu

der öffentlichen Prüfung


der

Schüler des katholischen Gymnasiums zu Köln

am 12. und 13. September 1836.

Inhalt: Dr. Fr. Ley commentatio de tempore, quo Herodotus mortem obiit.
Schulnachrichten vom Direktor, Prof. E. J. Birnbaum.

Ley



Köln am Rhein.

Gedruckt bei Johann Peter Bachem, Hof-Buchhändler und Buchdrucker.

1836

DE TEMPORE, QUO HERODOTUS MORTEM OBIIT.

Herodotum, patrem historiae, alii usque ad primos annos billi Peloponnesiaci vixisse, alii plus vigiuti annis post mortuum esse contendunt, quam diversitatem non facile suspicatus fueris in rerum scriptore, quas aut vidisse aut audisse se ipse affirmat. Atque quo magis mirari possis, non fere quisquam fuit ex recentioribus, qui historicis Graecis vel emendandis vel explicandis studia impenderunt, quin etiam de annis Herodoti disputandum sibi esse statuerit. Nimirum multi rem attigerunt, nemo, quod sciam, perfecit, et maximam partem nobis et fortasse etiam sibi fatisfecisse videntur, ut, qui nuper illius opera edidit, Baehrius, si afferrent, quae post Bouherium Wesselingiumque Dahlmannus docuisset, eique malunt acquiescere, quam veriora inquirere. Multo consideratius rem tractavit unus Kruegerus in libro, quem de vita Thucydidis scripsit, quamquam non iis semper sententiam suam argumentis mihi munisse videtur, quibus potuit. Quae si nunc proferam aliquanto firmiora, ut equidem puto, fortuna quadam factum est, qua in reges Aegyptiorum a Persarum imperio deficientes inquirens cognovi, quem Amyrtaeum Aegyptiorum regem affert Herodotus, eum falso permutari cum Amyrtaeo, quem Manetho apud Eusebium et Syncellum inter reges enumerat Aegyptios. Qua re perspecta de annis Herodoti quaerere institui, jam antea arbitratus Dionysii Halicarnassensis testimonium pluris putandum, quam Dahlmanni aliorumque conjecturas, neque dubitavi sententiam meam scriptis mandare, Niebuhrioque V. Cl. deque me optime merito abhinc octo annis tradere, ut, si probaret, in annalibus a se procuratis locum daret. Quam rem fieri propter mortem viri optimi non licuit, unde factum est, ut, quamquam viro doctissimo sententiam meam probatam fuisse gauderem, tamen quum Amyrtaei ab Herodoto memorati tempus aliaque jam in *libello de conditione Aegypti sub imperio Persarum* paulo post edito recte constituisse mihi viderer, aliis me deinde studiis detineri paterer et hac demum occasione oblata, quum examina Gymnasii nostri indicenda essent, revocarem. Ingrediar autem in hanc quaestionem ea via atque ratione, ut quae veterum fuerit opinio de tempore, quo Herodotus vixerit, explicem; quae si certa fuerit, tum licebit videre, quibus argumentis nixi illos falsos fuisse docere studuerint recentiores.

Scriptorem habemus summa auctoritate Dionysium Halicarnassensem, cujus verba in Judicio de Thucydide cap. 5. sunt haec: *ὁ δὲ Ἁλικαρνασσεὺς Ἡρόδοτος γενόμενος ὀλίγῳ πρότερον τῶν Περσικῶν παρεκτείνας δὲ μέχρι τῶν Πελοποννησιακῶν.* Plenum certe et praeclarum testimonium, cui hoc tantum opponere poteris, Dionysium, qui Herodotum assidue legerit, quum alia fortasse non observaret, ea ignorare non potuisse, quae ille de subita incursione a Thebanis in Plataeas facta tradidisset. Sed quum, quae de anno etiam natali significet,

ex Herodoto ipso minime posset conjicere, patet, eum aliunde hausisse neque habuisse, quae praeferret. Consentit Pamphila, ex qua Gellius XV, 23. affert: *Hellanicus, Herodotus, Thucydides, historiae scriptores in iisdem temporibus fere laude ingenti floruerunt, et non nimis longe distantibus fuerunt aetatibus. Nam Hellanicus in initio belli Peloponnesiaci fuisse quinque et sexaginta annos natus videtur, Herodotus tres et quinquaginta, Thucydides quadraginta. Scriptum hoc in libro XI Pamphilae.* Ex quibus colligimus, Herodotum tertio anno ante irruptionem Xerxis natum fuisse. Quod idem bellum a Dionysio verbis allatis indicatum esse constat (cf. Heyse quaest. Herodot. part. I cap. IV). Kruegerus quidem (l. l. pag. 7.) Pamphilam contendit sine ratione et consilio res in libris suis congessisse, neque omnino mulierum opinatur esse temporum computationes, attamen sine ratione ita scrupulos dubitationis injicere non licet, neque consensus Dionysii hic non magni habendus est. Adjiciam verba etiam Marcellini scriptoris vitae Thucydidis, quae sunt §. 54: *φαίνεται δὲ* (*ὁ Θουκυδίδης*) *ἐπὶ τῶν Ἡροδότου χρόνων γενόμενος, εἴγε ὁ μὲν Ἡρόδοτος μέμνηται τῆς Θουκυδίδης ἐν τῇ δευτέρᾳ.* Quae quidem verba manifesto ostendunt, Marcellino, seu quisquis ille scriptor fuit, in mentem venisse loci Herodoti, quem eundem supra indicavimus, at certe non parvi videtur momenti, nihil eum causae habuisse, quamobrem mortem Herodoti in posterius tempus proferret, quum scriptor vitae Thucydidis non posset facere, quin in Herodotum etiam inquireret. Quod denique Plinius (hist. nat. XII, 4.) Herodotum anno urbis trecentesimo decimo historias Thuriis condidisse memorat, fortasse eodem pertinet. Illo enim anno, qui est quartus decimus ante bellum Peloponnesiacum, colonia deducta est Thurios, comitatusque est Herodotus, quare quanquam nescii sumus, quo auctore usus sit Plinius, tamen hunc quoque non obstare videmus, quin contendamus *ex veterum omnium opinione Herodotum vitam summum propagasse ad primos annos belli Peloponnesiaci*, quippe quorum res ipse in historiis suis memoraverit.

Priusquam vero, quae ex Herodoto ipso a quibusdam auctoritati Dionysii opposita sint, audiamus, pauca mihi disputanda sunt de ratione institutoque ejus, quo in perficiendis historiis usus saepe medio in cursu narrationis se rebus alienis commemorandis a proposito revocari facile patitur. Neque persuadebit nobis Dahlmannus, eum in his digressionibus etiam sapientiore consilio declinare videri, quam ipsum Thucydidem (Dahlm. Herod. pag. 214 sqq.). Afferre enim possum plures res in historiis memoratas, quae quid faciant ad summam non intelliges, quasque a recentiore quodam interpositas esse non eodem jure contendes, quo studuerunt I, 12. — Praecipue enim amat interponere, quae *ad comparandos mores et religiones* pertinent, ut I, 199 exposito cultu Veneris Assyriae *ἐνιαχῇ δὲ καὶ τῆς Κύπρου ἐστὶ παραπλήσιος τούτῳ νόμος* cf. I, 196; II, 167 etc. Similia sunt, quae III, 131 adjiciuntur: *ἐγένετο γὰρ ὦν τοῦτο, ὅτε πρῶτοι μὲν Κροτωνιῆται ἰητροὶ ἐλέγοντο ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα εἶναι· δεύτεροι δὲ Κυρηναῖοι· κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ χρόνον καὶ Ἀργεῖοι ἤκουον μουσικὴν εἶναι Ἑλλήνων πρῶτοι.* Aut comparat *proprietates locorum*, ut IV, 30, quare etiam adjicit *προςθήκας γάρ δή μοι ὁ λόγος ἐξ ἀρχῆς ἐδίζητο;* aut docet rem quandam *etiam sua aetate eodem fuisse statu, aut mutatam esse*, ut I, 167; IV, 149; maxime autem res explicantur vel afferuntur, quibus loca hominesque illustret, *qui in bellis Graecorum barba-*

rorumque memoriam adepti essent, ut VII, 7. Ἀχαιμένεα μὲν νυν ἐπιτροπεύοντα Αἰγύπτου χρόνῳ μετέπειτα ἐφόνευσε Ἰνάρως ὁ Ψαμμιτύχου ἀνὴρ Λίβυς, quae res significabat bella Atheniensium in Aegypto postea gesta; eodem modo VII, 33, ubi cf. IX, 116; VII, 105—107; VII, 170; IX, 35, 37, 64, 73, 75, 105 etc. Quare si quid in historiis Herodoti traditum legimus, quibus interruptus esse rerum tenor videtur, non est, quod illico recentiorem manum suspiceris, minimeque in locis, ut III, 160, ubi Zopyrus memoratur *filius Megabyzi Atheniensibus perniciosissimi*, aut VII, 233, ubi Eurymachi mentio fit, *qui filius esset ducis Thebanorum in pugna ad Thermopylas*. Eodem pertinent, quae *de legatorum a Spartanis ad regem missorum nece* VII, 137, et *de Deceleensibus* narrantur IX, 73; quae quum cohaereant quam aptissime cum omni oratione, confirmant testimonium Plinii, Herodotum Thuriis in perficiendum opus studium contulisse. Sed videamus jam, num recte extendatur illud studium contra Dionysium in annos etiam belli Peloponnesiaci postremos. Omittemus autem locos supra allatos de incursione Plataearum VII, 233, et de nece legatorum VII, 137, cui occubuerunt anno belli secundo (Thuc. II, 67), quum de his rebus dubitatio esse nulla possit.

Ac primum quidem verba Hippiae tyranni V, 93: ἦ μὲν Κορινθίους μάλιστα πάντων ἐπιποθήσειν Πεισιστρατίδας, ὅταν σφι ἥκωσι ἡμέραι αἱ κύριαι ἀνιᾶσθαι ὑπ' Ἀθηναίων non recte mihi interpretari videntur, qui iis bellum Peloponnesiacum significari putant (Dahlm. Herod. pag. 39), praesertim quum ita cum reliqua oratione cohaereant, ut statim in componendis historiis scripta, non postea interposita videantur. In summam enim invidiam Atheniensium Korinthii adducti sunt, quum illi Megarensibus, quibuscum Korinthii de agri finibus certabant, longos muros conderent et praesidio obtinerent. Καί Κορινθίοις μὲν οὐχ ἥκιστα ἀπὸ τοῦδε τὸ σφοδρὸν μῖσος ἤρξατο πρῶτον ἐς Ἀθηναίους γενέσθαι (Thuc. I, 103). Varia deinde fortuna terra marique pugnarunt, sed postremum magnam calamitatem Corinthii acceperunt (Thuc. I, 106). Quae facta sunt 458 a. Chr., quo tempore Herodotus itinera nondum fecerat, multo ante, quam Thurios profectus est.

Alter locus, quem afferunt, est IV, 80: Ὡς δὲ μετὰ ταῦτα ἐξήλαυνε ὁ Σκύλης ἐς ἤθεα τὰ ἑωϋτοῦ, οἱ Σκύθαι προστησάμενοι τὸν ἀδελφεὸν αὐτοῦ Ὀκταμασάδην, γεγονότα ἐκ τῆς Τήρεω θυγατρὸς, ἐπανιστέατο τῷ Σκύλῃ· ὁ δὲ μαθὼν τὸ γινόμενον ἐπ' ἑωϋτῷ, καὶ τὴν αἰτίην δι' ἣν ἐποιέετο, καταφεύγει ἐς τὴν Θρηΐκην. πυθόμενος δὲ ὁ Ὀκταμασάδης ταῦτα, ἐστρατεύετο ἐπὶ τὴν Θρηΐκην· ἐπεί τε δὲ ἐπὶ τῷ Ἴστρῳ ἐγένετο, ἠντίασάν μιν οἱ Θρήϊκες· μελλόντων δὲ αὐτέων συνάψειν, ἔπεμψε Σιτάλκης παρὰ τὸν Ὀκταμασάδην, λέγων τοιάδε κ. τ. λ. Neque haec verba postea ab Herodoto interposita esse, sed cum omni de Scythis narratione conscripta videntur, quam quum instituerit bella Darii regis contra Graecos expositurus, certe non temere statuemus Thuriis primum esse scriptis mandatam. At Dahlmannus inde effici putat, Sitalcen illo tempore, quo illa essent scripta, omnibus notum fuisse, qui factus esset icto cum Atheniensibus foedere anno belli primo (Thuc. II, 67). Minime recte. Jam enim Teres pater Sitalcis magnae illius potentiae Odrysarum auctor fuit, quare ipse et filius propter colonias Threicias Atheniensibus multo ante bellum Peloponnesiacum, cujus initio Sitalces jam admodum provecta aetate fuisse constat (cf. Thuc. II, 101) noti essent oportuit;

neque ex nominibus ita memoratis omnino id colligi potest, quum alia eodem modo afferantur, ut V, 17, ubi legati dicuntur a Persis missi esse *παῤ Ἀμύντην, αἰτήσοντες γῆν τε καὶ ὕδωρ Δαρείῳ βασιλέϊ.* Cujus Amyntae filium Alexandrum, quanquam ei hospitium publicum cum Atheniensibus esset, tamen infra nominat *τὸν Ἀμύντεω ἄνδρα Μακεδόνα* (VIII, 136). Maximi autem momenti est, quod Herodotus de florentibus rebus Odrysarum, quae subito comparentes tertio anno belli ingentem terrorem finitimus omnibusque fere Graecis attulerunt (Thuc. II, 101)*, nihil comperti habuisse videtur, quum in describenda Darii in Scythas expeditione narratione instituta de Thracum populis moribusque certe illos non minus quam Getas, quas ex omnibus fortissimos esse tradit (IV, 93), memoravisset. Sed obiter tantum nomen eorum occurrit (IV, 92).

Ne quid praetermittam, quod testimonio Dionysii opponere studuerunt recentiores, breviter etiam tres Herodoti locos attingam, quibus res memoratas esse Dahlmannus (l. l.) arbitratur *paulo* ante mortem Artaxerxis regis gestas. Quem mortuum esse constat 424 a. Chr. Primus ex illis est VII, 151, ubi legatos Atheniensium multis annis post pugnam Salaminiam Susis fuisse narrat, cujus legationis principem locum Calliam tenuisse. Adjicit: *Ἀργείους δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον πέμψαντας καὶ τούτους ἐς Σοῦσα ἀγγέλους, εἰρωτᾷν Ἀρταξέρξεα τὸν Ξέρξεω, εἴ σφι ἔτι ἐμμένει, τὴν πρὸς Ξέρξεα φιλίην συνεκεράσαντο ἢ νομιζοίατο πρὸς αὐτοῦ εἶναι πολέμιοι. κ. τ. λ.* At vero inconsulte judicant, qui non inscii, quam accurate Thucydides res belli Peloponnesiaci tractaverit, illam legationem ab eodem praetermissam statuunt, quum alteram memoret, quae morte regis audita infecta re ex itinere redisset (Thuc. IV, 150). Atque, ut omittam, quae Plutarchus, Diodorus aliique de legatione illa perhibent, Dahlmanni conjuncturae repugnantes, nonne imprudenter facimus, quod Argivos, quorum induciae tricennales cum Spartanis sexto demum anno post (Thuc. V, 14) exirent, nulla re adductos statuimus, *non initio* sed *sub finem imperii* Artaxerxis, qui regnum quadraginta annos obtinuit, legatos misisse, qui quaererent, num sibi permanerent pactiones, quas cum Xerxe patre inissent. Imo multo rectius judicabis, si Argivos, quorum induciae tricennales cum Spartanis anno undecimo belli (420 a. Chr.) finiebantur, quosque etiam Xerxe in Graeciam irruente (480 a. Chr.) tricennalia foedera cum illis junxisse ex Herodoto potes colligere (VII, 148 et 150), anno 450 a. Chr. illas inducias composuisse et aliquanto ante, quum bellum Spartanorum impenderet, legatos ad regem misisse conjicies.

Alterum locum VII, 114 cum tertio III, 160 hic comprehendam. At priore nil occurrit, nisi quod Amistris, uxor Xerxis, facinus quoddam crudele *γηράσασα* commisisse perhibetur, posteriore Herodotus, ubi Darium opera Zopyri cujusdam magnis deinde praemiis affecti Babylonem rebellantem cepisse tradidit, adjecit haec: *Ζωπύρου δὲ τούτου γίνεται Μεγάβυζος, ὃς ἐν Αἰγύπτῳ ἀντία Ἀθηναίων καὶ τῶν συμμάχων ἐστρατήγησε· Μεγαβύζου δὲ τούτου γίνεται Ζώπυρος, ὃς ἐς Ἀθήνας ηὐτομόλησε ἐκ Περσέων.* De his Photius in excerptis Ctesiae (pag. 61. ed. Hoeschel.): *Ζώπυρος δὲ ὁ Μεγαβύζου καὶ Ἀμύτιος παῖς, ἐπεὶ αὐτῷ ὅ τε πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ ἐτελεύτησεν, ἀπέστη βασιλέως· καὶ εἰς Ἀθήνας ἀφίκετο κατὰ τὴν τῆς μητρὸς εἰς αὐτοὺς ἐνεργεσίαν· εἰς Καῦνον δὲ ἅμα τρισ̃ ἑπομένοις εἰςέπλευσε καὶ ἐκέλευσε παραδιδόναι τὴν*

πόλιν· Καύνιοι δὲ αὐτῷ μὲν παραδιδόναι τὴν πόλιν ἔφασκον· Ἀθηναίοις δὲ τρῖς συνεπομένοις οὐκ ἔτι· εἰσιόντι δὲ Ζωπύρῳ εἰς τὸ τεῦχος λίθον Ἀλκίδης Καύνιος ἐμβάλλει εἰς τὴν κεφαλήν, καὶ οὕτω Ζώπυρος ἀποθνήσκει· Ἄμιστρις δὲ ἡ μάμμη τὸν Καύνιον ἀνεσταύρωσεν· ἀποθνήσκει δὲ καὶ (ἡ) Ἄμιστρις κάρτα γραῦς γενομένη· καὶ Ἀρταξέρξης δὲ ἀποθνήσκει μ' καὶ β' ἔτεα βασιλεύσας. **Megabyzus ille pater Zopyri profugientis bellum Aegyptium contra Inarum et Athenienses auxiliantes confecerat 457 a. Chr. et quum captivis Atheniensibus contra fidem datam necatis obedientiam regi recusaret, exilio multatus est. Sexto anno post reconciliatus regi praefuit militibus contra Cimonem missis 449 a. Chr. (Diodor. XII, 4) et paulo post mortuus est. Atque quum etiam Amytis uxor non multo ita post mortem obiret (Excerpt. Ctes. l. l.), Zopyrus defecit, Athenasque profectus est. Quae res vix ultra annum 440 a. Chr. proferenda erit, qui est annus quintus, postquam Herodotus Thurios profectus est. Quare etiam non repugnabo, si quis, quae verba supra ex Herodoto III, 160. attuli, postea ab eo interposita esse statuat. Quod denique gesserit Amistris, mater Artaxerxis** *γηράσασα,* **magis mirum est, quomodo iis annum mortis Artaxerxis indicari arbitreris, quum jam aliquanto ante regnum ab eo susceptum multos illa vidisset annos, quos matriomonia filiorum probant (Ctes. c. 20. Herod. IX, 108 sqq.), isque quadraginta duos annos regnaret.**

Quod fieri solet, si homines opinione magis quam re ducuntur, ut verba etiam male interpretantes illam probare studeant, id nescio an iis acciderit, qui narrationem quoque IX, 73. de Deceleensibus prolatam hic arcessunt eaque nituntur. Quo loco Herodotus raptum Helenae a Theseo commissum narrat, quam investigantes Tyndaridas incursionem in Atticam fecisse adjuvantibusque aut Deceleensibus aut Decelo ipso eam Aphidnis occultatam recepisse. *Τοῖσι δὲ Δεκελεῦσι ἐν Σπάρτῃ ἀπὸ τούτου τοῦ ἔργου ἀτελείη τε καὶ προεδρίη διατελέει ἐς τόδε αἰεὶ ἔτι ἐοῦσα, οὕτω ὥστε καὶ ἐς τὸν πόλεμον τὸν ὕστερον πολλοῖσι ἔτεσι τούτων γενόμενον Ἀθηναίοισί τε καὶ Πελοποννησίοισι, σινεομένων τὴν ἄλλην Ἀττικὴν Λακεδαιμονίων, Δεκελέης ἀποσχέσθαι.* **Quae verba ad annum undevicesimum belli (412 a. Chr.), quo Agis Deceleam occupatam in maximum detrimentum Atheniensium muniverit, non sine quadam imprudentia referri jam rectissime judicavit Wesselingius, neque vero verborum sensu obstante ita scriptorum explicare sententias licet. Negari quidem omnino non potest belli temporibus mista passim cum veris commenta vagari, sed non tam longe distabant Thurii ab Athenis, neque erant coloniae Italicae illis temporibus ita sejunctae a Graecis, quin falsis remotis res majoris momenti ipsae, quae essent, paulo post, ne dicam statim, cognitae essent, et quod gravius erit, statuemusne Herodotum, hominem veri studiosissimum, quam rem novam ex Graecia nauta quidam sibi attulisset, ne adjecto quidem** *φασὶ* **in opus summa cura elaboratum temere transtulisse? Differunt ab Herodoto et inter se Plutarchus, Diodorus et Strabo, quibus nituntur, qui locum allatum explicare student. Plutarchus enim non Decelum sed Academum illum fuisse adjutorem perhibet, Spartanosque illius beneficii memores fines postea depopulantes Academiae pepercisse. Mentionem etiam fecit Marathi et Echedemi, qui, ut alii traderent, Tyndaridas secuti essent, unde tribus duae Atticae nomen accepissent (Thes. c. 32). Aliis igitur auctoribus usus est Plutarchus neque ideo rejiciendus, ut Dahl-**

mannus arbitratur, quod postea Agis Athenas obsidens in ipsa Academia castra posuerit. Nam et mores Graecorum in illo bello vehementer mutati sunt, et longe aliud est, locum hostiliter diripere et eum occupare, ut in alium invadas. Diodorus contra (XII, 45) Spartanos pepercisse tradit tetrapoli, quae diceretur, ubi majores consedissent et ab incolis adjuti Eurystheum invadentem vicissent. Idem de Tricorytho, quae pars erat illius tetrapolios, refert IV, 57. Atque consentire Diodoro videtur Strabo (VIII, pag. 597 Almelov.) Euristheum narrans in bello contra Heraclidas, quos Athenienses adjuvissent, Marathone periisse, quod idem oppidum tetrapolios fuit, et verbis etiam Plutarchi supra annotatis indicari videtur. Patet igitur, Spartanos pietate adductos clementius tractasse aliquos, illosque falsos esse, qui verba Herodoti recto sensu interpretari nolunt. Neque obstat, quod Thucydides rem non memoravit, cujus non erat, quae res ad summam belli levissimae essent, omnes explicare. Neque certe pro argumento afferre debebat Dahlmannus, quod dixit Thucydides II, 23. *ἄραντες ἐκ τῶν Ἀχαρνῶν ἐδῄουν τῶν δήμων τίνας ἄλλους τῶν μεταξὺ Πάρνηθος καὶ Βριλέσσου ὄρους*, quibus probaretur Deceleam, *quae ibi sita esset*, vastatam esse. Nam potuissentne dici Deceleae pepercisse, si alio movissent, in locum ipsum non venissent?

Ex gravioribus locis, ad quos nunc tractandos aggredior, fortasse alter hic praetermittendus erat (III, 15), quum in libro, quem supra de fatis Aegypti me scripsisse demonstravi (pag. 55 sqq.), apertissime eum jam explicuisse mihi videar, attamen quum ille liber non fere cuique ad manus sit, breviter repetam, ne ad editores, qui varie hic disserunt, vera a falsis non dijudicantes, confugiendum sit. Herodotus igitur illo loco *multis argumentis* probari narrat, regum liberos a Persis honoratos esse, *ἐν δὲ δὴ καὶ τῷδε, τῷ Λιβύος Ἰνάρω παιδὶ Θαννύρᾳ, ὃς ἀπέλαβε τὴν οἱ ὁ πατὴρ εἶχε ἀρχήν· καὶ τῷ Ἀμυρταίου Πανσίρι· καὶ γὰρ οὗτος ἀπέλαβε τὴν τοῦ πατρὸς ἀρχήν· καί τοι Ἰνάρω τε καὶ Ἀμυρταίου οὐδαμοί κω Πέρσας κακὰ πλέω ἐργάσαντο· κ. τ. λ.* Ergo scripsit Herodotus *post regnum Amyrtaei*, quem cum Inaro rebellionem Aegyptiorum 465 a. Chr. movisse scimus. Aegyptii autem victi et Inaro necato sub imperium Persarum redacti sunt 456 aut 457 a. Chr., quamquam Amyrtaeus paludibus per aliquot annos se defendens etiam sex annis post ab Atheniensibus adjutus est (Plut. Cim. c. 10). Quae deinde gesta sint, nescimus quidem, Herodotum vero, qui *post* has turbas Aegyptum peragravit (III, 12), omnia pacata vidisse constat, quum conventus diis celebratos (II, 96) et Persas in praesidiis collocatos videret (II, 30; III, 9), neque ulla re prohibitum se esse memoret, quo minus in totam terram inquireret, quare non est, quod dubitemus, tum Aegyptum bello etiam Amyrtaei composito suis quidem legibus usam non esse, sed, ut Herodotus tradit, populares habuisse reges. At enim alter Amyrtaeus a Manethone profertur, mortuo Dario Notho Aegyptum obtinens, quocum noster falso a plerisque permutatur. Nam Aegyptios anno *quarto decimo* Darii (411 a. Chr.) rursus rebellasse et usque ad invasionem Darii Ochi suis legibus suisque regibus esse usos demonstravi libro saepius laudato pag. 55, et explicavi Diodorum I, 44. ab editoribus prave intellectum. Quare quum Manetho reges Aegyptios *post mortuum* demum *Darium Nothum* (404 a. Chr.) enumeret, in errorem maximum se induci passi sunt Eusebius et

reliqui chronographi, illam seriem regum Aegyptiorum *septem annis prius* incipere statuentes, quam re vera regnarunt, unde maxima apud eos perturbatio rerum orta est, quum omnes illos reges a Dario Notho usque ad Darium Ochum eo jam tempore mortuos esse perhibeant, quo inter omnes constat eos vixisse (cf. l. l.). Ergo si Manethonem auctorem sequimur, qui unus hic est audiendus, Amyrtaeus regnavit post Darium Nothum 404—399 a. Chr., atque certe mirum est, ex similitudine nominum, quo uno stant argumento, hunc eundem statuere, atque Herodoti, qui 460 a. Chr. a Persis defecit, et hac una ex ratione Herodoti vitam contra Dionysii auctoritatem plus triginta annos propagare. At vero minime sunt permutandi, quum *priori successorem fuisse filium Pausirim* Herodotus narret, *posteriorem* contra *e Saitarum gente prognatum Nepherites secutus sit e gente Mendesiorum ortus*, Pausirimque ille a *Persis institutum* esse perhibeat, Nepheriten ne poterant quidem Persae instituere, ut qui apud Aegyptios nihil tum valerent.

Majore paene inopia, si monumenta testimoniaque veterum spectas, teneri videmur in explicando altero loco I, 130. Ubi quum Astyage victo Medi imperium amisisse dicantur, sequuntur verba: *ὑστέρῳ μέντοι χρόνῳ μετεμέλησέ τέ σφι ταῦτα ποιήσασι καὶ ἀπέστησαν ἀπὸ Δαρείου· ἀποστάντες δὲ ὀπίσω κατεστράφθησαν μάχῃ νικηθέντες. τότε δὲ ὑπὸ Ἀστυάγεος οἱ Πέρσαι τε καὶ ὁ Κῦρος ἐπαναστάντες τοῖσι Μήδοισι ἦρχον τὸ ἀπὸ τούτου τῆς Ἀσίης κ. τ. λ.* Quae defectio Medorum quo tempore facta sit, dubitant. Nam quum res gestas Darii Hystaspis filii tam copiose exposuerit, neque tamen usquam haec defectio Medorum indicari videatur, Darium Nothum esse, quem hic significaret, putant, quo regnante Medos desciscentes a Persis sub imperium redactos esse (409 a. Chr.) Xenophon auctor sit (Hellen. I, 2, 19). Sunt etiam, qui suspicentur, verba illa postea esse interposita, ut Kruegerus l. l. pag. 26., sunt denique, qui Xenophonti quoque suam abjudicaturi sint narrationem. De quibus conjecturis nihil dicam, quum iis facile carere posse mihi videar, neque ita difficultates evincere liceat. Atque primum in verbis allatis id animadvertendum est, quod ad tempus defectionis significandum hanc rem *ὑστέρῳ χρόνῳ* accidisse adjecit, quum, quae ejus cura fuit, multum differat, utrum res *πολλοῖσι ἔτεσιν ὕστερον* an *χρόνῳ μετέπειτα*, an *χρόνῳ ὕστερον πολλῷ*, an *ὕστερον* an *ὕστερον τουτέων* gesta sint, de quibus conferatur, quae disputavi in libro laudato pag. 68 sq. Observavit etiam Kruegerus l. l. — Ergone statuemus, Herodotum hac in re, qua, si ad Darium Nothum referenda est, nihil est omnium, quae apud eum legantur, posterius, minimum curae adhibuisse? Accedit, quod prioris Darii res gestas enumerat plures per libros, posteriorem nusquam alibi memorat, quare, ne alter cum altero confundatur, hujus nomen non ita afferre poterat, ut Sitalcis (IV, 80) aut Amyntae (V, 17). Neque necesse fuit haec defectio copiosius exponeretur, quum Herodoti esset, summas tantum res enarrare (I, 177), quaeque Graecis rebus implicatae essent, ut verbi gratia Darium etiam in Aegypto fuisse compertum habemus neque causis ab Herodoto expositis neque itinere ipso (Diod. I, 95 cf. I, 58. Herod. II, 110). Sed nullam dubitationem relinquemus, quum aliis quoque locis demonstrari possit, Medos contra Darium priorem rebellasse. Nam qui Magi imperium affectasse traduntur, ex gente ejusdem nominis Medica oriundi fuerunt (I, 110. III, 73), ut Pasargadae, quorum familia sunt

Achaemenides, gens Persica fuit (I, 125). Unde etiam postea Persae Magos fraude detecta fere omnes trucidarunt festumque diem Magophoniam egerunt (III, 79). Defectio igitur Magorum fuit conatus Medorum imperium ab Astyage contra Persas amissum recipiendi, quod apertis verbis ipse Cambyses moriens dicit (III, 65). Ob imperium enim fuerunt Persae in magna invidia Medorum, quae jam divinatione Magorum de Cyro puero deliberantium (I, 120 cf. I, 129) significatur, neque nescii erant Persae illius invidiae (cf. III, 62). Quare Magis interfectis turbae exorirentur necesse fuit, quum Medi imperium affectarent, Persae tuerentur. Memorat non tantum hanc ταραχήν occisione Magorum concitatam (III, 150.) — nam imperium illis tenentibus omnia quieta erant — sed eam dicit etiam a Medis imperium concupiscentibus esse concitatam III, 126: χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον καὶ Ὀροίτεα Πολυκράτεος τίσιες μετῆλθον. μετὰ γὰρ τὸν Καμβύσεω θάνατον καὶ τῶν Μάγων τὴν βασιληΐην μένων ἐν τῇσι Σάρδισι Ὀροίτης ὠφέλει μὲν οὐδὲν Πέρσας ὑπὸ Μήδων ἀπαραιρημένους τὴν ἀρχήν· ὁ δὲ ἐν ταύτῃ τῇ ταραχῇ κατὰ μὲν ἔκτεινε Μιτροβάτεα τὸν ἐκ Δασκυλείου ὕπαρχον, ὅς .... ἄλλα τε ἐξύβρισε παντοῖα καί τινα ἀγγαρήϊον Δαρείου ἐλθόντα παρ' αὐτὸν, ὡς οὐ πρὸς ἡδονήν οἱ ἦν τὰ ἀγγελλόμενα,. κτείνει μιν ὀπίσω κομιζόμενον....... Δαρεῖος δὲ ὡς ἔσχε τὴν ἀρχὴν, ἐπεθύμεε τὸν Ὀροίτεα τίσασθαι .... ἐκ μὲν δὴ τῆς ἰθείης στρατὸν ἐπ' αὐτὸν οὐκ ἐδόκεε πέμπειν ἅτε οἱ οἰδεόντων ἔτι τῶν πρηγμάτων, καὶ νεωστὶ ἔχων τὴν ἀρχὴν καὶ τὸν Ὀροίτεα μεγάλην τὴν ἴσχυν πυνθανόμενος ἔχειν κ. τ. λ. Darius igitur imperium Persis restitutum magnis certaminibus ab Medis defendit, ut post aliquod demum tempus regnum firmaret, idque certamen animo Herodoti obversari oportuit, *de principatu Medorum ejusque fine* dicenti.

Atque quum haec potissimum sunt, quibus nituntur, qui Herodotum usque ad finem belli Peloponnesiaci vixisse contendunt, non jam erit, quod dubites Dionysium sequi. Reliquum est, quum conjecturas recentiorum rejecerimus, ut hanc quoque rationem ineamus, *qua ex opere Herodoti ipso demonstretur posteriore eum tempore, quam quo Dionysius dixerit, historias conficere non fere potuisse.* Leguntur enim quaedam apud Herodotum, quae ei mutanda, desiderantur alia, quae adjicienda fuisse videntur, si diutius vixisset. In quam disputationem ingredientem me non praeterit, quam difficile sit ex iis, quae scriptor non annotaverit, quidquam colligere, praesertim quum Herodotus aliquanto ante e Graecia emigraverit, quam opus conficeret. Quam multa eum fugerent quamvis cognoscendi cupidum, quam falso multa referrentur oportuit, quae in librum transferre nollet! Accedit, quod multas res compertas habuit, easque memorandi etiam occasio non defuit, attamen non adjecit, quia aut supervacuum videbatur, aut a proposito aberrare nolebat. Ut exemplum admodum grave proferam, saepius memorat Myrcinum, urbem Histiaei et novem vias, quae dicebantur, et metalla Thasiorum (V, 11. 23. 126. VI, 46. VII, 114), pugnae Atheniensium quoque de metallis postea cum Edonibus commissae (IX, 75.), non dicit, illas novem vias postea constituta colonia Atheniensium Amphipolim vocatam, Thasiorumque reditus ex metallis ab Atheniensibus esse circumscriptos (Thuc. I, 100). At vero quin ante cladem Atheniensium in Sicilia acceptam opus condiderit, minime est dubitandum, quum VII, 170 calamitatem Tarentinorum et Rheginorum omnium maximam fuisse

perhibeat, quae usque ad suam memoriam Graecis essent illatae. Nulla enim caedes Graecorum conferri potuit cum Atheniensi nec numero caesorum, nec magnitudine malorum inde exortorum, quare et Dahlmanno aliisque ille locus maxime notabilis visus est.

Eadem fere et plura etiam ex verbis VI, 98 a Dahlmanno longe alio sensu explicatis colligere posse mihi videor: *μετὰ δὲ τοῦτον ἐνθεῦτεν ἐξαναχθέντα* (Datim ducem Persarum 490 a. Chr.) *Δῆλος ἐκινήθη, ὡς ἔλεγον οἱ Δήλιοι, καὶ πρῶτα καὶ ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσα. καὶ τοῦτο μέν κου τέρας ἀνθρώποισι τῶν μελλόντων ἔσεσθαι κακῶν ἔφηνε ὁ θεός· ἐπὶ γὰρ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος καὶ Ξέρξεω τοῦ Δαρείου καὶ Ἀρταξέρξεω τοῦ Ξέρξεω, τριῶν τουτέων ἐπεξῆς γενεέων ἐγένετο πλέω κακὰ τῇ Ἑλλάδι ἢ ἐπὶ εἴκοσι ἄλλας γενεὰς τὰς πρὸ Δαρείου γενομένας, τὰ μὲν ἀπὸ τῶν Περσέων αὐτῇ γενόμενα τὰ δὲ ἀπ᾽ αὐτέων τῶν κορυφαίων περὶ τῆς ἀρχῆς πολεμεόντων· οὕτω οὐδὲν ἦν ἀεικὲς κινηθῆναι Δῆλον τὸ πρὶν ἐοῦσαν ἀκίνητον. κ. τ. λ.* Quibus verbis ne quis cum Dahlmanno regni quoque Artaxerxis finem indicari suspicetur, quum illi tres reges fere centum annos (si verum scire vis *nonaginta septem*) regnassent, eorumque regna tres aetates nominentur, illam de aetatibus opinionem vulgarem esse falsam perpendat, omninoque filios et qui iis aequales sint alteram aetatem vocari (cf. quae de hac re disput. l. l. p. 67 sqq.). Nec bellum quidem Peloponnesiacum *illis malis* indicari putabis, si invidiam Peloponnesiorum, ex quo maxima gloria parta Athenienses principatum obtinebant Graeciae, qua ducti semper eorum conatibus officere studebant (cf. Thuc. I, 97), si etiam proelia ad Tanagram, ad Oenophytam, ad Koroneam spectaveris, quaequae alia bella interna post seditionem tertiam Messeniorum Graeciam vexarunt (Thuc. I, 105—113). Immo vero, id quod praetermisit Dahlmannus, ut aliam rem mox annotandam, nostro loco efficitur, *ignotum fuisse Herodoto Darium posteriorem*, quo regnante maxima calamitate Graeci et inprimis Athenienses, qui praeter ceteros Graeciam a barbaris defenderant (VII, 137), affecti sunt. Quare Herodotus *post mortem Artaxerxis* 424 a. Chr. opus condidisse minime videtur. Atque etiam animadvertendum est, illum motum terrae in insula Delo, ut Herodotus tradit, usque ad suam aetatem et primum et postremum fuisse, quum et Thucydides illi repugnans, quum exposuerit, quanta in exspectatione omnes Graeci incursione in Plataeas facta fuissent, adjiciat: *ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη ὀλίγον πρὸ τούτων πρότερον οὔπω σεισθεῖσα ἀφ᾽ οὗ Ἕλληνες μέμνηνται· ἐλέγετο δὲ καὶ ἐδόκει ἐπὶ τοῖς μέλλουσι γενήσεσθαι σημῆναι κ. τ. λ.* (II, 8). Minime probanda videtur Wesselingii explicatio Thucydidis *ὀλίγον πρότερον* laxius sumentis atque ad illam tremorem adplicantis, quem Herodotus memoraverit, sed accedendum Valkenaerio priorem tremorem suspicanti aut Graecis ignotum aut ab iis non creditum fuisse. Et ipse Herodotus oraculis, portentis, similibusque rebus tam libenter credulus (VI, 27.) dubitasse videtur, quare et verba *ὡς ἔλεγον οἱ Δήλιοι* adjicit et argumenta affert, cur probabile sit, terram esse motam. Atque quum uterque scriptor contendat, illum tremorem *primum* fuisse, conjectura fiat necesse est, sacerdotes harum narrationum auctores fuisse, quas, ut sanctitas inde loci appareret, aut ipsi fingebant, aut fictas augebant. Quibus in terris auctoritas talium rerum tanta est, quanta tum apud Graecos, praesertim quum maximae res immineant, falluntur saepe homines prodigia nuntiantes et temere credentes, quod etiam Romae evenire solebat (Liv. XXI, 62. XXII, 1.),

quare, si Persica bella non exorta essent, neque Herodotum de oraculis sciscitantem quidquam ejusmodi audisse puto, et Thucydidem ipsum propter magnitudinem belli magnitudinem prodigiorum (I, 23), quae eo plura erant, quo attentiores erant animi, et nuntiasse et explicasse judico. Quin etiam illa tantum calamitate Deliorum ineunte anno decimo belli (Thuc. V, 1.) fortasse factum est, ut vulgatior esset fama illius tremoris, quem suo loco memorari voluit scriptor. Sic patet, cur et Thucydides prioris nescius fuerit et Herodotum de altero nil habuisse compertum at certe re comperta suam narrationem emendaturum fuisse, si, ut quidam volunt, usque ad finem illius belli operi condendo studuisset. Jam morte Artaxerxis definiendas Herodoti historias modo constituebam, at fortasse ne is quidem terminus habendus. Thucydides enim Plataeenses tradit Spartanis oppugnantibus legatos misisse, qui dicerent, Spartanos injuste facere, quod Thebanos sibi inimicissimos adjuvarent seque perdere studerent, *quum Pausanias olim propter rem a patribus contra Persas egregie gestam urbem agrosque concessisset, ut semper suis legibus uterentur.* Cujus rei nullam mentionem fieri apud Herodotum perdiligenter talia annotantem certe esset, quod mirareris, nisi animadverteres, hujusmodi promissa toties fere homines oblivisci solere, quoties fierent, neque futurum fuisse, ut Plataeenses illorum reminiscerentur, si difficultas rerum non admonuisset. Itaqne patet, quum Herodotus Plataeenses narret auxilia Spartanorum contra Thebanos implorantes ad Athenienses esse rejectos (VI, 109. cf. Thuc. III, 55), cur non idem, quae postea inde mala essent oborta, narret, quamquam Spartanos per dolum causas discordiarum inter Athenienses Thebanosque serere voluisse non ignoraverit, certaminaque eorum exposuerit. Quare etiam, id quod supra animadverti, non jam magnopere errabimus statuentes Herodotum de magnis viribus Odrysarum nil cognovisse. Nam eodem anno oculos Graecorum in se converterunt, quo Peloponnesii Plataeas obsidione cinxerunt, 429 a. Chr.

Quae quum ita sint, unice probandum est Dionysii testimonium nec jam audiendi videntur, qui aetatem Herodoti primis annis belli Peloponnesiaci non definiendam esse arbitrantur. Atque quae solae res, ex quo Thurios abiit, gestae esse videntur, quod Zopyrus Athenas venerit (III, 160), quod Thebani incursionem in Plataeas fecerint (VII, 233), quod legati Spartanorum necati sint (VII, 137), quum eas historiis jam compositis postea interpositas esse appareat, conjecturam facere etiam licet, scriptorem Thuriis operam quidem dedisse illis perficiendis, sed rebus adversis aut morte matura esse impeditum.
